

Letter 460: [1531, Strasbourg], Otto Brunfels to Capito

The original autograph of this letter is in AST 154, no. 26; the text is also printed in Ficker-Winckelmann II, 77.

Doctori Wolfgango Capitoni suo charissimo.

5 Salutem. Noli, mi Capito, ut vel indiligentiae, vel alioqui imperitiae dones, quod non
prima statim pollicitatione misi, quas a me postulasti ventris subductiones. Promptior fuisset, si
aut agyrta, aut mulomedicus velim haberi, qui toti sunt in eo artificio, et praeter hoc nihil aliud
noverunt. Sed charior mihi es, quam qui in te velim experiri quid huiusmodi pharmaca in
corporibus valeant. Quare si non protinus centurias effuciam talium receptarum, ne moleste
feras. Nolo, ut me etiam non iubente in te experiare, quae a me etiam milia possent adnumerari.
10 Alioqui tamen quae mihi videntur innocenciores mitto, et quae sine omni periculo potes tentare.
Sed quando plurimum refert, quid velis evacuare, id est choleram, pituitam vel melancholiam,
deinde non minima pars medicinae immo Myropoliorum asyllum, quae necesse est aliquando
ruere. Si rem gratam tibi facere me scirem, non dubitarem etiam volumen ad te perscribere de
usu pharmacorum plurimorum. Interim paucis hiis utere et vale.

Otho Brunfelsius.